SPECULUM
NOVUM NOVOLUMINOSUM

Acrius intuentibus & contemplantibus repræsentans memoriam vivacem, Historiam veracem Alastorum perjurorum, conjuratorum, rebellium, Regicidarum, homicidarum; nec non ἀνάρχων Anabaptistarum, Independentium hypocritarum, Schismatico-Sectariorum apostatarum Italo cacodæmone afflatorum Stygiosissimi

SLII

Pacticidii.

1. FOedus Pactumque solenne, perenne, Scotanglicum quam religiosissime ab utraque gente dextris in cælum sublatis sanctum plus quam Sinonia fraude infringendo.

Pacicidii.

2. Vectensem de firma inter Regem & Parliamentum pace stabilienda tractationem gladiatorio jure rescindendo, proditorium ei nomen inurendo.

Parlicidii.

3. Domum Parium Parliamenti abjudicando, Domum Communium (quos vocant) relicta tantum parte plus minus octava, eaq; ex Schismaticorum, Sectariorum, perjurorum farragine, cum armata vi militum perfidorum, conjuratorum conflata) ejiciendo, excludendo, interminando, in carcerem conjiciendo.

Legicidii.

4. Decreta a Majoribus amplexa conculcando; Leges multis retro seculis fixas refigendo; Immunitates ab avitis regibus datas & ratas auferendo; Judicia contra fas contra jus inaudita exercendo.

Regicidii.

5. Carolum Anglorum Regem, si nomen spectes, Primum; si seriem a *Gulielmo* cognominato victore Vigesimum quintum; Scotorum supra Centesimum; Magnæ Britanniæ Secundum nulli secundum; plane Protestantium unicum; non obstante Sacramento Fidelitatis, sive Ligeantiæ quam vocant, non Sacramento Suprematus; non Protestantione; non Foedere Pactoque solenni, non Parliamenti liberrimi & celeberrimi Authoritate, perfidissime injustissime, ignominiosissime, insultantissime pro Regiæ suæ Aulæ foribus securi subjiciendo.

Regnicidij.

6. Legem, Legislatores, Legis Conservatorem abolendo; Regem, Regiam Potestatem, Regiam posteritatem, (quantum in ipsis fuit) extirpando, ex numero hominum ejiciendo, imo ex finibus humanæ naturæ exterminando; Gregem emulgendo, detondendo, deglubendo, tanquam asinum clitellarium quolibet cunque agitando, flagellis cædendo, carduis & palea pascendo.

Templicidij.

7. Hæreticos, Schismaticos, Anabaptistas, Independentes, omne genus Sectariorum Blasphemorum & turpissimorum non tantum non cavendo, sed favendo; non feriendo sed ferendo, non movendo, sed fovendo; doctos, orthodoxos, pios, constantes, rite ordinatos, veros, veræ, veri Dei doctrinæ præcones injustissime in carcerem contrudendo, crudelissime & diutissime in eodem concludendo, contumeliis lacerando, capite puniendo.

Omnicidij.

8. Legem, Regem, Gregem; Aras, Sceptrum, Tribunal; Religionem, Majestatem, Rempublicam (Tria sunt omnia) violando, averruncando, pessundando.

Omnicidij

Cedro inscribendi, ære incidendi, in ultimas terras asportandi,
Omnibus omnium urbium Portis, Postibus, Parietibus affigendi,
Nunquam non, nusquam non abominandi,
Non nunquam, non nusquam, vindicandi
In servos, milites stipendiarios, Christians, eosque non ita pridem Protestantes, verum jam nunc, si diis placet, Sanctos Dominis suis legitimis, Christianis, Protestantibus legitimis legitime imperantibus
NON OBEDIENTES:
O Factum Christianissimum!
Chronodistichon in id ἀείμνηστον.

O. Crom. cum suis, Jun. 5. 6. 1647.

Ah Nonæ NonasqVe DIes post IVnIe DIra It,
PerlVrVs qVa AVtor spreVIt DeCreta SenatVs.

Omnicidij Nunquam non, Nutquam non abominandi,
Non Nunquam, Non Nusquam vindicandi

In servos, milites stipendiarios, Christianos, eosque non ita pridem Protestantes, verum jam nunc, si diis placet, Sanctos Dominis suis legitimis, Christianis, Protestantibus legitima legitime imperantibus.
IMPIE IMPERANTES.
O Facinus Sanctissimum!
Chronodistichon in id ἀείμνηστον.

O. Crom. cum suis, Decem. 6. 7. 1648.

AnnI finItor tVa seXta seqVens qVe notanDa
Est Carbone DIes, qVaDat VIs JUra BrItannIs.

Regicidij Nunquam non, Nusquam non abominandi,
Non Nunquam, Non Nusquam vindicandi

In servos, subjectos, Christianos, eosque non ita pridem Protestantes, verum jam nunc, si diis placet, Sanctos Carolum Dominum, & Regem suum legitimum, Christianum, Protestantem Regum unicum, Foedere Salvo votivum quaterno Securi (at, tamen ne securi?) *Securi.*
SECURI PERCUTIENTES.
O Fidem Novolumino-sissimam!
Chronodistichon in id ἀείμνηστον.

Jan. 30. 8 1649. 9

FebrVe LVCe tVas bIna præeVnte CaLenDas,
RegIs (granDe nefas) CerVIX per CUssa se CVrI.

O. Com. I. Bra.

Foedifragorum, perjurorum & rebellium exitus.

Jos. 9. 15. 18. 2 Sam. 21.

Nuniades ferit & Gibeon sua fœdera, Saulus
Hæc frangit; nati huic Septeni & ab arbore pendent.

2 Chron. 36. 18. Ezek. 17. 15. *Hist. Turc.*

Foedus init Judæ Rex cum Babylone, nefandum!
Rex violat, Deus & vindex citus æstuat ira.
Turca fidem Alberto, Turcæ Albertusque vicissim
Obligat, Albertus nece fœdera fracta luebat.

Hist. Turc.

Turca fidem Hungaro, Turcæ Hungarusq; vicissim
Obligat, Hungarus nece perfida pactaluebat.

Tho. Hoile. Parl. perjurus.

Mente, die, atque hora queis Carolus occidit, anno
Hoile tuo Thoma pendes vertente capistro
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Hom. Il. δ. 158. 159.

Οὐ γὰρ πῶς ἄλλον πίλει ὅρκιον ——
—— Καὶ δίξιαι ἧς ἐπέπιθμεν.
—— Ζεὺς εἰς δὲ τελευτίω
Ἔργων ἀντ' ἀδίκων χαλεπὴν ἐπέθηκεν ἀμοιβήν.

Hes. erg. a.

Οὐκ' ὄζιν ὄυκ' ὄζιν ὦ ἄνδρες Ἄγγλοι ἀδικοῦντας, προδότας, ὁπορκοῦντας, ἀφιστιαζομένους, ἀνδροφόνους, ἀνακτοφόνους δυνάμιν βεβαίαν κτήσασθαι· ἀλλὰ τὰ [illegible] εἰς μὲν ἅπαξ καὶ βραχυ χρόνον ἀντέχει, καὶ σφόδρα γε ἡνδηστιν ὅτι [illegible], ἀν τύχῃ· τῷ χρόνῳ δὲ φωράται καὶ ἀεὶ αὐτὰ καταῤῥεῖ· ὥσπερ καὶ οἰκίας [illegible] καὶ πλοίου, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα [illegible] καὶ τῶν πραξέωντας ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσις ἀληθῆς καὶ [illegible] τοῦτο δὲ οὐκ ἔνι νυν ἐν τοῖς πεπραγμένοις ὑπὸ τῶν Ἀγγλῶν τῶν ὁπορκούντων.

Δημοσθ. Ολυν. β. [redacted].

Non potest, non potest fieri viri Angli injustos, proditores, perjuros, rebelles, homicidas, Regicidas firmam potentiam esse possessuros: Sed ejusmodi semel & ad breve tempus durant, & propter spem vaidæ fortasse florent; tandem vero deprehenduntur & in se decidunt. Nam ut domus, opinor, & navis & aliarum ejusmodi rerum infimas partes oportet esse firmissimas; sic etiam actionum initia & fundamenta, vera & justa esse convenit; Id autem non est nunc in rebus a per juris istis Anglis gestis.

Dem. Oly. 2.

Juris prudentissimus Ethnicus Græcus Demosth. — Θεὸς δὲ δικάζειν Θεοκ. Ιδ. ΠΥ. *Juris perdentissimus Christianus Anglus Bradshaw.*

Ubi semel quis Peieraverit ei credi postea, etiamsi per plures deos juret, non oportet. Cic. pro Rab.

Pœna perjurii divina exitium, humana dedecus. Cic. 2. de leg.

Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. *Virg. Æn. 6.*

Πεφευγότων, ὀιστὸν, ἀκοντίον.
November. 1651.

N. A.